

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 90. (*Neovidensis* 1806. Nro. 84.)

Ex Campis Elysiis
Dissertatio Politica

De tranquillitate animi.

Elysium--Meum-- Die Veneris 31. Octob. 1806 (*Neov.* 17. Octob.)

S e n t e n t i a :

S i l e n t i u m !

In certo colle, quem nominare nolo, pietate Majorum nostrorum Germanorum constructum erat coenobium Carthusianorum. Fuit solitarium, et a strepitu mundi remotum; Caenobitae vivebant parce ex vicinia, quam labore manuum excolebant. In aditu templi exaudiebantur hymni, et preces; voces erant hominum, qui saepe inanibus, certe ut plurimum absurdis mundi vanitatibus nuncium remiserunt. Interna religiosa tranquillitas supplevit omnes transitorias sensuum illecebris asveti mundi voluptates, atque semper crescentem temporum inquietudinem. Intramissus, intravi sacro horrore percussus isthoc a caeteris mortalibus sejunctum domicilium, et ubique reperi magnis litteris scriptum; *Silentium!* omnino silentium!

Monachi, alieni ab omnibus mundi negotiis, vitam agebant in plena ignorantia magnorum eventuum, sacro fungentes officio ornabant altaria, et religiosa virtus invenit ibidem refugium contra omnes consvetas hominum stultitias, quae, si componantur, nonnisi rixas concitant, et contentiones. Peregrinantes bellatores gaudebant se posse in itinere ad tale coenobium divertere, et Abbatia in monte *Simplon* erecta ostendit gallico exercitui utilitatem religiosae liberalitatis. Est enim colonia, quae advenas reficit, securosque praestat. Sed *Silentium!* ita est, sanctum silentium!

Sine dubio tam critico, bellicosoque tempore, quale hodiernum esse incipit pro Germania, quisque magis optat praeteritorum temporum pacem, atque quietem. Invidemus coenobitis, ita pacifice inter se degentibus, in mentem nobis venit pax silentii, et tranquillitas feliciam illorum temporum, quibus bella tantum calamo gerebantur, vulgo litigabatur. O utinam possemus toti mundo *Silentium* imperare! Silentium, sanctum silentium! quam exoptatum es, ex quo bellum in omnibus Europae septemtrionalis partibus motus internecinos excitavit.

Multo magis adhuc optamus sacrum silentium audientes rumores de victoriis, et cladibus, de itu, et reditu militum, atque tormentorum boatu. Accedunt ad haec va-

ria co
produ
solet
Saxon
pracu

P
pugna
que a

P

acco
celli
stia
gina
sed
tissi
rota
tur.
pra
tur
usq
peta
arm
um
atq
cru

ria commenta plebis, imo nonnulli vaticinia producunt. Tum curiosi volvunt antiquos obsoletos sybillarum libros, reperiuntque, uti Saxoniae ephemerides affirmant, sequentia oracula :

Secunda

sit mundo magnum clama,

Porro: *Septima, ad Thuringam erit magna pugna, ex qua ibimus Erfordiam in sanguine usque ad genua.*

Postremo: *octava*

reddetur mundo facies nova.

Ista interpretatur quilibet pro arbitrio, accomodatque suis desideriiis; attamen percellitur, si vesperi in angulo considens tristitia quaepiam narrari audiat. Commota imaginandi vis videtur non tantum apud viros, sed ipsas etiam foeminas, et apud has potissimum tunc operari, dum sub crepusculum rotae volvuntur, atque luna fenestris illabatur. Tunc in memoriam revocantur antiquae praedictiones, et anniles narrationes, struuntur in aëre acies, munimenta, et conflictus, usque dum accurrat miles, pulset fenestram, petatque hospitium. Hunc insequuntur alii armati, et nos consternati obliviscimur omnium vaticiniorum, librorumque sybillinorum, atque in pia erumpimus vota: O silentium! sacrum silentium! recrea nos iterum tuo reditu.

Interim quodlibet factum, in exercitu eveniens, colligitur, ad tabulam geographicam examinatur, discutiturque. Ita se res habet cum praelio die 10. hujus ad Neostadium intra Orlam, et Aunam situm, commisso. Nonnisi ex eff-ciu potest ferri iudicium de prospero, vel adverso successu pugnae. Borussi castra posuerunt ad sylvam Thuringicam ita, ut eosdem a fronte aggredi res plena periculi fuisset. Gallicus exercitus profectus est ex Principatu Byruthino versus Voiglandiam, ut, veluti jam patet, Borussos circumiret. Ad Aunam in sinistro Borussici exercitus cornu stabant Borussicae legiones imperio Generalis Tauenzien parentes. In has fecit impetum Gallicus Princeps Mürrat, ut viam sibi sterneret ad circummeundum exercitum Borussicum. Mane initium est datum pugnae, et usque ad seram vesperam pugnatum fortissime ex utraque parte: Princeps Borussicus, Ludovicus Ferdinandus, ut tardiores ferunt rumores, vulneratus est. Quo autem cum successu? Scribuntur Galli Zeitzam usque, Lipsia sex circiter milliariibus distantem, penetrasse, ubi centrum eorum consistit, dextrum vero cornu Dresdam usque extenditur. Si haec vera sunt, Galli metam tenent suae destinationis, adeoque victoriam retulerunt; circuitio Borussici exercitus continuatur, atque hoc est, quod Galli sibi efficiendum proposuerant.

Dum bellum ita sangvinolentum capit

exordium, Russicae copiae juxta ephemerides jam hac, jam illac proficiscuntur, certi tamen nihil constat. Velle autem Russos ad vim, et arma descendere docet Potropolitani articulus de 17. Septembr.

Die 4. hujus congregatis in Senatu Patribus sequens Caesareum Manifestum est praelectum, et publici juris factum:

Dei gratia Nos Alexander I. Russorum Imperator &c. notum facimus omnibus nostris fidelibus subditis. Cum Nos curando internam Imperii nostri felicitatem etiam de externis ejus negotiis assidue simus solliciti, nihil nobis erat magis in votis, quam eadem in inconcussis publicae utilitatis principis collocare; & foederibus sicuti patriae quam accommodatissimis firmare. Ex hac consideratione principio statim assumti regiminis utilissimum fore judicavimus, causas vigentium tunc disensionum a nobis amoliri, nosque amicis conventionibus cum illis Gentibus jungere, quarum bene sana, & moderata consilia cum libertate regnorum, & pace universali magis cohaerebant. Divinum Numen implevit nostra desideria concedendo universalem Europae pacem. Verum inscrutabili ejus sapientiae non placuit prorogare hunc rerum ordinem. Bellum iterum recrudit. Quamvis autem nos in illo directe nullam habuerimus partem, nunquam tamen intermissimus pro ratione foederum, & firmissimo-

rum communem felicitatem, & tranquillitatem svadentium argumentorum pacem optare, ac pro ea restituenda pacificam adhibere operam. Dum vero ista ageremus, impulit nos ad ineundam belli societatem apud Gallos in dies magis crescens amplificandi Regni studium, immoderataque dominandi cupiditas. Armis nos accinximus, pacem exoptantes; Jamque tunc declaravimus (Edicto de 1. Septembris 1805.) armorum nostrorum finem esse, ut sanctimonia foederum nostrorum conservetur, & pax in tota Europa stabilietur. Inimica quidem fortuna, quam arma foederatorum subierunt, remorata est effectus nostrae intentionis, at principia, quibus innitebatur, non immutavit. Initio praesentis anni gallicum gubernium paratum exhibuit animum ad pacem conficiendam; sine mora itaque dedimus mandatum descendendi ad tractatus, quorum fundamentum erat talem reducere pacem, quae cum dignitate, securitateque nostri Imperii, cum emolumento nostrorum foederatorum, & cum universali Europae tranquillitate concilietur. Verum, quod vehementer dolemus, propositae a Gallia conditiones nec dignitati nostri Imperii responderunt, nec foederatorum utilitati, ea propter recusavimus eas ratas habere. Ut tamen immutabilitatem nostrorum principiorum, quae inter diversos eventus semper ad eandem metam tendunt, demonstremus, eodem tempore proposuimus modum, juxta quem parati sumus novos cum gallico gu-

bernio
propo
ut sine
neque
sociar
ceptat
in Eu
pax,
cupim
mutui
neri;
pro
patria
lute
quae
ria ju
divin
justa
defe
subd
flagr
dine
plis
ctur
stim
mov
hac
ferv
esse
tent
argu
exte
riar

bernio aperire tractatus. Principia a nobis
 proposita parte ex una ita moderata sunt,
 ut sine periculo communis securitatis rejici
 nequeant, parte vero ex altera utilitatibus
 sociarum Gentium ita accommodata, ut iis ac-
 ceptatis pax universalis, & quidem durebilis
 in Europa iterum firmari possit. Hinc vel
 pax, vel continuatio belli consequetur. Nos
 cupimus pacem, sed si nec diuturna, nec
 mutuis utilitatibus conveniens potuerit obti-
 neri; tunc sepositis omnibus conditionibus,
 pro honore russici nominis, pro securitate
 patriae, pro sanctimonia foederum, pro sa-
 lute totius Europae ea arripiemus media,
 quae in hunc finem quam maxime necessa-
 ria judicaverimus. Persvasum habemus, a
 divina providentia, quae veritatem tuetur,
 justam nostram causam potenti suo brachio
 defensum iri. Certi sumus, fideles nostros
 subditos, omni tempore amore erga patriam
 flagrantes, omni tempore honore, & fortitu-
 dine ductos, atque heroicis Majorum exem-
 plis animatos vires suas cum nostris conjun-
 cturos, quamprimum eos securitas Russiae,
 stimulus honoris, et nostra mandata ad pro-
 movendum commune bonum evocaverint. In
 hac firma persuasione de divino auxilio, &
 fervore fidelium nostrorum subditorum esse
 censuimus, iisdem praevis nostras in-
 tentiones exponere, ut novum suppeditemus
 argumentum, nos nullo nostro conatu sive
 extensionem imperii, sive inanem transitio-
 riarum victoriarum gloriam quaerere, sed id

unum optare, agereque, ut communis securitas stabilietur, foedera nostra conserventur, & dignitas nostri Imperii sustentetur.

Datum Petropoli 30. Augusti 1806. Anno 6. nostri regiminis.

Alexander.

subscripsit negotiorum externorum Minister

Andr. Budberg.

Problema.

Aesopus veniens ad servitium Philosophi Xanti, atque ab hoc interrogatus, quot annorum esset? reposuit: Si quadratum meae aetatis a quadrato aetatis mei Patris subtrahatur, residuum erit $35\frac{4}{9}$ vicibus tantum, quantum est quadruplum meae aetatis; Quodsi autem subtrahatur media aetas mei Patris a quadrato quartae partis meae aetatis, & ab hac differentia etiam mea aetas subtrahatur, remanebit 16 ta pars aetatis mei Patris.

Quaeritur: Quot annorum fuerit Aesopus, & ejus Pater?

PUBLICANDUM.

Benigno gratioso de dato 30. Sept. a. h. No. 19191. emanato Intimato significatur: Erga recursum Jurisdictionum Literariorum factam jam esse suis in locis dispositionem, ut omnibus Rei Literariae Administris Actualibus, & pensionatis 10 pro Centum fl. monetariae Conventionalis per singulas angarias a die 1 ma Aug. a. c. dependantur.